

Difficultas circa illam ex Decretali Innoc. IV.

Difficultas autem, quam dixi circa prædictum discursum extare, in casu de quo loquimur, occurrit, in Parochiis inquam Episcopis in omni Parochiali iure subiectis, ex eo quod in prædicta Decretali additur post prædicta, in fine illius; sic enim dicitur: Nec forsan ipsi Monachi ad Monasteriorum suorum Prioratus Ordinarios eisdem subiectos (ut vel gerant eorum regimen, vel in eis tamquam proprii locorum ipsorum Monachi resideant) fuerint destinati: tunc enim ipsi libere possunt ad eadem Monasteria reuocari; ne tam illorum, quam ipsorum Prioratum Monachi reputentur (cum non sit inconueniens aliquem utrobique locum habere Monachicum) vnum alteri subesse Monasterio, vel ab ipso noscitur dependere: ratione tamen eorumdem Prioratum dicti Ordinarii sua iurisdictione in ipsis etiam quoad præmissa, quamdiu morantur in illis, licet uti possunt. Hæc ibi. Iuxta quæ etiam amplissimum priuilegium sit, quale ibidem exponitur, ut Ordinarij Censuris uti nequeant erga sic Priuilegiatos: si tamen in loco sint iurisdictioni Episcopi subiecto, aut cum illius regimine, aut sine illo, priuilegium cessat erga præmissa; scilicet suspensionem, excommunicationem, & Interdictum: ut exponit Glossa verba illa Textus: Quoad præmissa: quia de illis decisio aperte procedit. Cum ergo Parochi Religiosi Indorum in loco Episcopo subiecto sint, priuilegium exemptionis prædictæ non videtur vllatenus suffragari. Non enim hic locum habet exceptio, quam addit Glossa, post adducta verba sic dicens: & intelligas hoc quando Prioratus ille tale priuilegium non habet ex se, nec ex superiori Monasterio: quia si maius Monasterium habet priuilegium quod Monachi sui, & Prioratum sibi subiectorum, à quoquam excommunicari non possunt, &c. tunc secus. Non inquam habet locum, quia Doctrinæ Indorum tale priuilegium non habent, neque Prioratus, aut Prælatuæ aliæ, quibus aliquæ illarum subiectæ esse solent quoad obseruantiam Religiosam, illud item allegare possunt: quia Ecclesiæ etiam illæ, in quibus Prælatuæ exercetur, Parochiales sunt, & ita Episcopo subiectæ, proptereaque non gaudent priuilegio. Licet enim contingere possit ut Prælatu non sit Parochus; quia tamen Ecclesiæ, & tali Prælatu subditi sub iurisdictione Episcopi sunt, & domorum etiam, quas ædificauerunt, domini non sint, ut expresse est Regiis Schedulis declaratum, de quibus Dom. Solorzanus Cap. 16. num. 87. Prioratus talis dici potest subiectus Ordinario, ut Decretalis loquitur; quia quoad maiorem sui partem subiectus est. Quamuis ergo (ut hoc detur) Prælatum nequeat Censuris impeteret; subditos tamen poterit, qui Parochiale munus administrant.

Domos Parochorum non esse.

Quid pro praxi.

53 Quod cum probabile esse negari non possit, difficile speret quisquam occurrente occasione, id quod fauorabile est Religiosis, ab Episcopis eligendum. Sed habent illi vnde obuiare molestijs huiusmodi possint, cedendo, ne cadantur muerone Censuræ, & res ita disponendo, ut numquam ad extrema hæc remedia veniantur. Debent autem Domini Episcopi considerare non ita opportunum esse remedium, quod potest sine difficultate frustrari. Cum enim Religiosi opinionem pro se habeant, iure, ratione, & magnorum scriptorum auctoritate firmatum, Censuris se non ligatos possunt, cum interminatæ illæ

fuerint, arbitrarij & ita quoad forum animæ nihil factum nimis illa seueritate, & multoties etiam quoad externum, cum sine testibus ordinariè Parochi in populis degant, ubi suæ sunt absoluti domini voluntatis. Alijs profectò pœnis uti possunt, ut ex Hostiensis aduertit Ioannes Andreas in citatum Cap. Volentes, quod est primum de Priuilegijs, ubi illa ipsius verba: Dicit Hostiensis quod etiam deponere illos poterunt, & in arctum Monasterium detruere, si causa talis fuerit, &c. Et quidem Monasterium quantumuis amplum satis erit arctum ijs, qui vitæ Doctrinariorum assuesciti, obseruantiam domesticam ægerimè possunt tolerare. De quo Prælati testantur, ut videri potest apud D. Solorzanum Cap. 16. n. 38. Vide etiam infra, Titulo 20. n. 60. & Titulo 12. n. 233.

Pœna aliâ prater Censuras.

Ioan. And. de arca.

CAPVT VIII.

Qualiter Religiosi Indorum Parochi Religionis vinculis teneantur.

54 S Vnt illa plura, quoad vota scilicet, & alia, quæ iuxta Regulam, aut Prælatorum præcepta possunt eorum conscientias onerare, pro quibus

Dico primò. Votum Castitatis ita obligat Parochum Religiosum ut si quid referuatum, quod ad illud spectet, sit, non possit ab eo sine licentiâ Prælati Regularis absolui. Id constat. Quia Parochus talis absolute manet subiectus Religionis Prælati in omnibus, quæ ad mores pertinent, cum circa ea tantum, quæ Parochialis officij sunt, Ordinario debeant subiacere: ergo in ijs, quæ ad votum castitatis spectant omnimodam retinet subiectionem. Sicut de alijs Religionis obseruantijs Auctores dicunt, quæ cum officij administratione non pugnant: ut videri potest apud P. Pelliciarium Tractat. 8. Cap. 4. num. 115. & alios pro Tertiâ Assertionem citandos. Et quidem nulla est ratio laxamenti circa hoc, quando constringi possunt habere, debent, ut maioribus periculis maior cautio adhibeatur. Quia verò contingere potest ut Parochus aliquis nullius Monasterij Prælatu subiectus sit, sed tantum Prouinciali: circa hoc à Prouincialibus prouidendum, & obseruandum quod Religionum statuta præscribent. Si autem nihil præscriptum inueniatur, videndum quid in more sit. Quod si nec de more constiterit, communes regulæ referuationis seruandæ, quæ apud Doctores occurrunt. Ut si Prælatu referuatum peccatum sit, absoluaatur cum onere comparendi, vel gerat se uti non habens copiam Confessarij, iuxta diuersas opiniones, si autem nihil est in Religione referuatum Prouinciali, sed Prælatu Monasterij, qui nullius Monasterij Prælatu subiectus est, videtur posse cui voluerit confiteri, & hoc est verosimile. Quamquam inuerosimile non sit referuationem tunc ad Prouincialem transire, quia immediatus Religiosi talis Prælatu est; nec credibile referuationis habenas tunc laxari, quando, ut dixi, cohibendæ potius sunt. Sed quia referuatio odiosa est, erunt quibus hoc non placeat, nec facile fuerit eos à suâ sententiâ dimouere. Et idem est pro referuatis circa materias alias obseruandum. Possunt autem confiteri non approbato

Assertio 1. circa votum Castitatis, referuationem vim habere.

Quid si nulli inferiori Prælatu subiectus sit.

ab

Amotis ab officio auerare approbationem, cum nota da doctri na.

ab Ordinario: quod secus esset, si Ordinario ipsi essent plene subiecti, iuxta ea, quæ tradit P. Pelliciarus supra num. 135. Amotis tamen ab officio, durat approbatio, quia non pro Indis tantum approbati sunt, sed etiam pro Hispanis, iuxta Regiam Schedulam, de quâ numer. 13. & ita sine limitatione sexuum & personarum. Videatur citatus num. 136. qui num. 133. ait quando Parochi sunt amobiles ad nutum, non posse eligi in Confessarios ex delegatione aliorum Parochorum: cuius oppositum est probabile, & ita in Parochis Indicis sine scrupulo aliquo circa Indos prædicandum: immò & valde expediens est, cum etiam Indi cuilibet approbato confiteri possint. Circa Hispanos autem non esset ita certum, si Parochi essent amobiles: sed certè non sunt, quia & Religiosus non esse tales constat ex dictis num. 18. & seqq.

Assertio 2. difficultas ex eo quod Parochi Indorum videtur dominium reddituum redduntur sicut & Episcopi.

Contrariu statuitur ut certum

De ijs, qui in Societate nondum professi aut formati, dubium speciale.

Circa votum Paupertatis.

55 D Ico secundò. Circa votum paupertatis maior videtur esse difficultas ob receptam multorum sententiam de Beneficiarijs dominium Ecclesiasticorum reddituum adquirentibus: quod quidem & in Parochis Religiosis videtur admittendum, sicut & in Episcopis Doctores admittunt, qui videti possunt apud P. Thomam Sancium in Opere moral. Lib. 6. cap. 6. n. 7. qui num. 13. ait esse probabile: ob similem rationem, quia videlicet ita adiudicatur sua portio Beneficiario Regulari ac Seculari cum liberâ transferendi in alium dominij facultate: vnde tam amplè potest disponere inter viuos de sui Beneficij redditibus, quàm potest Beneficiarius secularis, ut docent Doctores quamplures, quos adducit & sequitur P. Sancius supra n. 14. & Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 16. num. 85. Nihilominus uti certissimum tenendum Beneficiarium Religiosum voto paupertatis adstringi, neque reddituum Ecclesiasticorum, aut bonorum aliorum, quæ adquiret, proprietatem comparare. Sic P. Suarez Tomo 4. de Religione, Tractat. 8. Cap. 19. num. 7. P. Sancius supra. num. 36. Dom. Solorzanus dudum citato Capite numer. 84. Thomas à Iesv de statu Monachorum Parte 2. Cap. 7. Dist. 3. quod etiam de Religiosis Episcopis tenet Dom. Villaroël Parte 1. quæst. 3. art. 4. numer. 67. & seqq. & Parte 2. Quæst. 14. art. 4. num. 74. & alij apud ipsos. Ratio est clara, quia Parochus talis manet verus Religiosus: neque paupertatis votum, quoad id, quod essentialiter importat, quomodocumque explicetur, incompatible est cum munere Parochiali: cumque aliàs circa hoc nulla extet dispensatio, nullum est fundamentum ut oppositum quidquam asseramus.

56 Est autem specialis difficultas in Religiosis Societatis, qui vota post biennium tantum emisissent, & dominij capaces sunt: illi enim, si in Indijs Parochiale munus administrant, videntur fructuum Beneficij adquirere proprietatem, & ita non solum inter viuos, sed etiam post mortem posse disponere, iuxta formam in Constitutionibus assignatam. Sed certè & in illis etiam resolutio prædicta locum habet: sic enim Societas Beneficia prædicta admittit, ut in nullo lædatur votum paupertatis, & sub eâ conditione, ut

ex emolumentis nihil sibi Religiosi adquirent, sicut inuolabili est praxi semper obseruatum. Licet ergo stare possit, quod docet Cardinalis Lugo Disput. 3. de Iustitiâ, num. 90. iuxta mentem R. P. Mutij Vitelleschi Societatis nostræ Præpositi Generalis, eum, qui biennij tantum emisit vota, posse sibi adquirere dominium notabilis alicuius quantitatis, quæ aut hereditate aut donatione proueniat: cum tamen in ordinarijs acquisitionibus domui aut Collegio acquirat. In casu tamen nostro; si emolumenta Beneficij in magno pretio sint, non sunt illa regulâ comprehensa, quia sub conditione dicta acquiruntur: si autem non magni valoris, stare illa potest: quamuis Prælati debeant illis abundantius prouidere. Vnde nec distributio illorum eisdem permittitur pro suo arbitrio faciendâ: idque omnes ita sibi persuasum habent, ut neque in ordine ad proprias necessitates, si quando occurrant, inficilis Superioribus, quidquam audeant atrectare.

Idem de illa asseruandam.

57 Neque obici potest facultatem amplè distribuendi à iure haberi, cui nequit ex inferiorum dispositione quidpiam contrarium stabiliri. Nam Ius quidem, vel Ecclesiæ, ut cum alijs Doctoribus loquitur P. Sancius num. 14. citato. concedit plenam reddituum administrationem: sed cum priuilegium sit, illi potest renuntiare, eò quod Religio noxium sibi futurum esse præuideat, ob specialem circa paupertatem perfectionem, aut morem suo instituto conuenientem, in eadem obseruatum. Sicut priuilegijs quibusdam iuxta ea, quæ ad officium S. Inquisitionis spectant, renuntiauit, ut constat ex Decreto 21. Congreg. 5. & in materiâ paupertatis loquendo, Concilium Tridentinum Sessio 25. Cap. 3. de Regularibus. Concedit omnibus Monasterijs & domibus tam virorum, quàm mulierum & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de obseruantia vocantur, etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessu, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Cui tamen Concessioni Societas nostra quoad Domo Professas renuntiauit. Non est ergo mirum si amplè illi facultati distribuendi bona ex Beneficio obuientia renuntiauerit. Præterquam quod cum Beneficia dicta ita à Pontifice data sint, cuius mentem Regiæ Schemulæ declarauerunt, ut ea quæ ad mores spectant curæ Prælatorum Regularium referuntur: & ad mores maximè spectet, præsertim in Indijs, ne Religiosi liberam habeant bonorum administrationem, eo ipso ea, quæ ad hoc spectant, ad eosdem spectat moderari.

Concessio Iuris pro distributio non obstat.

Conc. Trid.

58 Et ex prædicto discursu constat quid de Religiosis aliorum Ordinum circa potestatem distribuendi bona Beneficij sit dicendum. Possunt enim Prælati distributionem huiusmodi moderari, & applicare fructuum partem atque emolumentorum pijs operibus, inter quæ Monasteriorum necessitates merito debent computari: habito tamen ante alia & præ alijs respectu ad necessitatem Parochialis Ecclesiæ, & pauperum Parochianorum iuxta dicta num. 15. & tenendam omninò sententiam Thomæ à Iesv supra, s. Ex quibus, quæ pro Indijs Parochis specialiter militant, quia manent absolute sub obedientiâ Prælatu rui, vnde ab illis tantum corrigi possunt in ijs,

Religiosi aliorum Ordinum quid liceat circa illam.



quæ ad mores spectant, iuxta dicta Cap. precedent. Quod si applicatio talis non fiat, aut portione aliqua pro opere pio assignata, reliqua Parocho relinquatur, illa sanè poterit pro suo arbitrio in opera pia dispensare. Poterit etiam referuare sibi aliqua, si prouideat necessaria sibi futura post Parochiam dimissam, eò quod Religio non plenè prouideat ad Religiosorum necessitates subleuandas. Ad Monasterium autem reuersus tenebitur ea manifestare Prælato, & iuxta illius licentiam vsum temperare. Circa quod, nisi Religio sit penitus relexata, non potest non aliquid dispositum inueniri: Parochis enim distribuendi, & sibi retinendi facultatem tribui ad liberum vsum extra monasterium, & intra illud, non sine graui stare paupertatis iniuriâ potest; nisi quantitas valde moderata sit, quam cum Religiosus suo labore collegerit, non est penitus inordinatum, vt eâ ad monasterium regressus perfruatur: quantumvis eò ipso quod regrediat, aut ad aliud vadat, ibi habiturus monasterij fiant, vt bene explicat P. Suarius Tomo 4. de Religione, Tractat. 8. Lib. 3. Cap. 19. num. 11. cuius illa sunt verba: Existimo autem eo ipso quod persona redit ad Monasterium cum talibus bonis, incorporari bona illa bonis Monasterij: quia in primis talis Religiosus iam non potest habere liberam administrationem talium bonorum, quia hoc repugnat Religiose vite, cum iam illa persona sit omnino actu subiecta Prælati Religionis: ad illum ergo iam spectat talium bonorum administratio. Vnde eo ipso quod Religiosus secum defert talia bona ad Monasterium, quantum est ex se illa applicat, & Prælati illa permittendo, consequenter acceptat: & idè ex tunc incipit dominium talium bonorum esse apud Monasterium. Sic ille.

Qua secum afferunt, Monasterij fieri.

P. Suarez.

Cum Prælati igno- rat, & Religiosus non applicat, quia dicitur.

59 Sed quid si Prælati nesciat, quia Religiosus occultat, & neque iste vult ea Monasterio applicari? In primis contra paupertatis votum peccare, ex eodem Patre constat. Deinde, sufficit tacita Prælati voluntas: quia sicut illa sufficit, iuxta communem Doctorum sententiam, vt Religiosus alienare aliquid, aut consumere possit: ita etiam, (& multò id potius) vt possit Monasterij bonis incorporari. Neque obstat Religiosum applicationi reluctari, quia circa hoc non est dominus suæ voluntatis, & talis applicatio beneficio iuris communis habetur: vt si existens in Monasterio aliquid adquirat, quod tamen applicari Monasterio nolit, sed suo vsui referuare. Erit autem idem si pecunias, aut alia secum non ferat in Monasterium, sed apud sæcularem deponat: quia cum personâ adueniunt iura. Nisi fortè ante dimissam Parochiam, sciens eam breui dimitteridam, statuerit bona talia dispositioni Prælati referuare: tunc enim, etsi ea in Monasterium apporet, Monasterij non erunt, sed eius, cui Prælati voluerit applicare. Id insuper obseruando ingentem pecuniæ quantitatem, neque cum Prælati licentiâ posse Religiosum retinere; quia licet non sit contra formalem rationem paupertatis, quæ solum in Professis proprietatem excludit; est tamen contra statum; quia adeò pecuniosus & potens ad sua commoda pecuniâ promptâ vti, si sæcularis esset, minimè pauper haberetur: ergo multò minus Religiosus in statu pauperis viuens. Vnde Concilium Tridentinum Sessione 25. Cap. 2. de Regularibus, sic statuit:

Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuscumque qualitatibus fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, iamquam propria, aut etiam nomine Conuentus, possidere vel retinere, sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usufructum, vel vsum, administrationem, aut Commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum, ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amouibiles pertineat. Mobilium vero vsus ita Superiores permittant, vt eorum suppellex status paupertatis, quam professi sunt, conueniat: nihilque superfluum in ea sit, nihil etiam, quod necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter, &c. Hæc si Religiosi considerent; quod à nobis dictum est, quàm sit rationi & veritati conforme, non poterunt non indubij penitus iudicare. Pro quo & addo Declarationem Cardinalium apud Dom. Barbosa, & alios, sic habentem: Per talem licentiam Regulares ipsa immobilia, vel mobilia superflua possidentes, à culpa vel à pœna non excusantur. Nec credendum est Superioribus asserentibus se posse concedere licentiam possidendi mobilia aut immobilia superflua. Sic illi.

60 Dixi bona posse à Religioso Parocho vel Monasterio, vel Prouinciali, vt ea iuxta id, quod magis expedire viderit, applicet, condonari, quando distributio illi permisa est. Quod intelligendum de bonis, quæ illi non intuitu Ecclesiæ data sunt, aut ab ipsa ex eodem intuitu adquirentia: si præsertim iam sint in ornamenta, & alia vtilia conuersa. Pro quo videndus Dom. Solorzano citato 16. num. 87. & in Politica sol. 646. Idem erit, si ipsi ex adquisitis propriâ industria, aut ex salariis, quidquam pro seruitio Ecclesiæ fecerint: in quo Clericorum Secularium alia ratio est, iuxta ea, quæ habet P. Suarez citat. Lib. 3. Cap. 16. num. 26. Nisi aliter apud se statuunt, nolentes vt talia Ecclesiæ sint, si contingat eam ad Sæculares Clericos deuenire, aut si ipsi Parochialem curam dimiserint. Quæ quidem voluntas quantum ad forum conscientiæ sufficit: in foro autem externo non suffesturam credo; quia cum seruitio Ecclesiæ applicatum sit, ex illius intuitu factum, præsumptionis erit non leuis: circa quod pro re nata talium arbitri iudicabunt. Vnde non est generaliter admittendum quod affirmat P. Sancius in Opere moral. Lib. 7. Cap. 32. num. 76. & ex eo Cardinalis Lugo Dissert. 3. citat. num. 234. & P. Pellizarius Tract. 8. Cap. 4. num. 128. Religiosum scilicet Parochum Ecclesiæ acquirere, quando Beneficium est sæculare. Nisi dicamus eam doctrinam, quæ etiam est P. Suarii citato Cap. 19. numer. 28. rectè stare, quando Beneficium non solum ex institutione suâ, sed etiam ex vsu sæculare est; quia videlicet non semper solet per Regulares administrari, & Regularis, qui nunc administrat, pleno est iure Ordinario subiectus: quod non ita accidit in Parochiis Indorum: licet enim ex institutione sua sæculares sint, & Sæcularibus destinata, solumque ratione necessitatis Regularibus ad tempus attributa: illi tamen Ordinariis non pleno iure subduntur; in quo Beneficia ista à communi talium conditione deficiunt, sic disponentibus Potificibus, qui ad hoc habent absolutissimam potestatem.

Conciliū Trid. quid circa paupertatis statum.

Declaratio Cardinalium pro eodem.

Qua bona Religiosus secum afferre non possit, nec donare.

Non semper Ecclesiæ acquirere.

Peccatè grauius profane expensentem, etiam cum Licentiâ. Et accipientes ad restitutionem teneri.

Quid ludo exponere possint.

Ex Concilio Lim. 3. de sumptibus quantum.

Deberi illi in omnibus, quæ ad mores spectant.

Doctrina P. Suarii.

61 Quibus addendum (vt quæ ad hanc materiam spectant, terminemus) Religiosum, qui ea, quæ ex Parochiali Beneficio acquirit, in vltus profanos, aut inhonestos expendit, mortaliter peccare, neque ad hoc posse licentiam amplam Prælatorum, aut præsumsum ius ratione Beneficij suffragari, vt communiter tradunt Doctores, & videri possunt P. Suarez supra num. 20. P. Sancius Lib. 6. Cap. 6. num. 14. & Lib. 7. Cap. 19. numer. 31. P. Pellizarius. numer. 130. & alij, quos adduximus Titulo 3. numer. 39. Ex quo se qui videtur clarè, accipientem sic datateneri ad restitutionem: quod etiam communi est Doctorum assensu firmatum. Videantur dicta Titulo 1. num. 146. & Titulo 3. num. 38. & seqq. & Thomas à IESV supra Parte 3. Cap. 2. De ludo autem communis est Religiosis omnibus difficultas: & licere aliquid illi exponere ad honestam recreationem, sententia est satis recepta Doctorum: pro quo videri potest P. Molina Dissertat. 520. paullò post principium. Et P. Sancius Cap. 19. citato 10. numer. 79. Vbi plures congerit sic docentes. Addit autem posse ludo exponere ad rationem quatuor vel quinque aureorum pro centum sibi quotannis ad sustentationem concessis. In Indiis autem constat maiorem licere quantitatem Pro quo & facit, quod cum in Concilio Limensi Tertio. Act. 3. Cap. 17. lata esset excommunicatio aduersus Clericos aleis vel chartis pictis ludentes, aut quolibet alio ludo prohibito, si quod exponunt, valorem duorum aureorum excederet: à sacra Cardinalium Congregatione auctoritate Sixti V. id temperatum est, vt pœnam excommunicationis non incurrant, nisi summam luserint quinquaginta aureos excedentem, vt constat ex Praefatione Concilij ipsius 6. 1. Prudenter enim Patres illi iudicauerunt quinquaginta aureos in Indiis non esse notabilem quantitatem, idque pro singulis vicibus. Vt ex hoc intelligamus quatuor aut quinque aureos à Doctoribus prædictis pro Religiosis assignatos, in Indiis ad maiorem debere summam excrescere, vt graue in eo peccatum inueniatur. Vnde aliqui seruata proportione (neque enim omnimoda seruari debet; cum adeò dispar sit sæcularium Clericorum, ac Religiosorum conditio) neque viginti sufficient, & plus aliquid requiratur, quod difficile fuerit prætaxare. Et hæc circa Paupertatem, vt iam

Ecclesiam autem Parochialem, durante Religiosi administratione, subiectam esse in spiritualibus Prælati Religionis, ex eo ostenditur, quia Religiosus ipse illius Pastor in ordine ad illa subiectus est: vnde si malè administrat, puniri potest, & idè Ecclesia quoad omnia visitatur. Vnde & dici etiam potest quoad temporalia subiecta, quia de ijs etiam curare Prælati debet. Neque accommodari hic potest, quod docet P. Suarius citato Cap. 29. num. 19. videlicet quod si Ecclesia sit omnino exempta à iurisdictione Episcopi, & subiecta Prælati Regulari, eâ ratione tenebitur Beneficiarius. Monachus illi parere, sicut tenebitur parere Episcopo, si ordinatio iure illi esset subiecta. Si autem Ecclesia sit subiecta Episcopo, non tenebitur Monachus parere Episcopo: non tenebitur Monachus parere Episcopo: ergo non proprio Prælati, non enim potest in eadem materiâ duos habere Superiores inter se non subordinatos. Tum etiam quia illa non est materia obedientiæ, eò quod non pertinet ad Regulam, neque ad obseruantiam Religiosam. Vnde licet Prælati Religionis simul sit quasi Episcopus illius Ecclesiæ, non tenebitur Monachus Beneficiarius illi parere in tali materiâ ex vi obedientiæ, sed solum ratione iurisdictionis, sicut tenebitur parere Episcopo. Hæc autem exemptio manifestior est, quando Ecclesia non est Religioni pleno iure subiecta, vt probat idem Pater num. 24. & multò magis quando est Beneficium sæculare.

que videtur obseruari.

Applicari non potest in presentibus.

63 Non inquam applicari potest, quia, vt diximus num. 60. Beneficia Indica, de quibus loquimur, specialem habent conditionem, neque debent iuxta regulas aliorum Beneficiorum penitus gubernari: neque enim omnino Regularia, neque omnino Sæcularia sunt, licet sine addito diminuenti sæcularia dici possint, ob rationem adductam citato loco. Pro quo & videri potest P. Sancius citato Cap. 29. Lib. 7. num. 24. vbi bene ostendit non præscribi statum Beneficij etiam post quadragenariam possessionem, quando sæculare concluditur Regulari ex dispensatione. Vnde & Episcoporum iurisdictioni subsunt quoad omnia Parochialia, & Religiosis Prælati etiam quoad illa: non vt contrarium quidquam statuere possint, sed vt ea impleri faciant, & suâ etiam prouidentia addant, quæ viderint expedire, suppledo multoties eorum negligentiam aut impotentiam: & etiam circa mores & vitam, in quo plenissimè gaudent potestate. Non esse autem inconueniens, vt circa eandem materiam duo sint Superiores, quando Superioritas dicto modo exercetur; ex se apparet verosimile: & iam ibi aliquis modus subordinationis interuenit. Vnde & Parochum delinquentem circa Parochialia posse à suo Prælato puniri, tradit eum alij P. Pellizarius Tract. 8. Cap. 4. num. 117. licet sint qui secus sentiant. Et quidquid de Beneficiis aliis sit, in iis, de quibus loquimur, aliter se res habet, quia sic recepta sunt. An autem Prælati iubenti circa Parochialia debeatur obedientia ex vi voti, vel extraordinariæ iurisdictionis, non multum ad negotium obedientiæ interest, cum constet similiter obedientium. Et licet sententia P. Suarii, quam & tenet P. Palas Parte 3. Tract. 16. Dissertat. 4. Puncto 25. num. 2. verosimile fundamentum

Duo Superiores quomodo circa eandem materiam esse possint.

Prælati iubeat circa Parochialia an ex voto obedientiæ sit illa præstanda.